

Dissertatio inauguralis medica de rhachitide ... / [Nikolaus Wilhelm Ersfeld].

Contributors

Ersfeld, Nikolaus Wilhelm, active 1682.
Fasch, Augustin Heinrich, 1639-1690.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis viduae Samuelis Krebsii, [1682]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vwnqm77q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Jehova adjuvante !

20

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

RHACHITIDE,

Quam

EX AUTORITATE ET INDULTU

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in

Illustri Jenensi Academia

SUB PRÆSIDIO

DN. AUGUSTINI HENRICI

FASCHII,

Medic. Doct. Anatom. Chirurg. & Bota-

nic. Profess. Publ. famigeratissimi, Archiatri Ducalis

Saxonici celeberrimi,

Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris

semper venerandi

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores, Insignia ac Privilegia

Doctoralia ritè consequendi

publico Eruditorum examini subjicit

NICOLAUS WILHELMUS ERSFELDIUS,

RUNCKELIO-WEDANUS.

In Auditorio majori,

Horis ante - & pomeridianis consuetis,

Die XXX Maji Anno M DC LXXXII.

J E N Æ,

TTPIS VIDUÆ SAMUELIS KREBSII.

DEO
TRIUNI,
PATRIÆ PATRIBUS
PARENTIBUS
&
PATRONIS
Omnibus

SACRUM!



PRÆLOQUIUM.

Nos natos desinere esse, tota loquitur nostra vita; eo enim ipso momento, quo formari cœpimus, illico alterari & corrumpi incipimus. Infantes in utero materno sanguinis, Microcosmi illius Phœbi, partibus mollioribus, flexibilibus nutritione & augmentatione, & volatilioribus conservatione dum fruuntur, partim à remixtis peregrinis, minus teneriori huic compagi convenientibus, partim à plurimis particulis per insensibilem transpirationem decedentibus alterantur. Ex utero egressis vix auram spirare licet, quin non variorum morborum semina & characteres hujus machinæ interitum moliantur.

Hujus rei testem inpræsentiarum sisto RHACHITIDEM, morbum in occidentalibus Angliæ tractibus circa annum Christi 1620 primum notum; nunc non Angliæ solum, verum & Germaniæ cunas infestantem; Cujus naturam, symptomata, causas & curationem, consentiente Illustri Facultate Medica in scenam paucis producere placet. Quod ut feliciter procedat, deriva, Fons Sapientiæ inexhauste, in nos Gratia Tuæ flumen! Te verò, L. B., rogatum volo, ut non verba aut stylum, potius res sub his latitantes considerare velis; unde si rem acu, quod dicitur, in omnibus non tetigero, id cum morbi

A 2

hujus

hujus minori adhuc notitiæ, tum mei ingenii tenuitati acceptum iri, mihi abs Te spondeo.

CAPUT I.

de nomine & definitione.

Cum nomina nil aliud sint, quam rerum signa; notitia vero signati pendeat à notitia signi; proinde ut in limine hujus Dissertationis proponatur nomen ipsum, non abs re fore, arbitror.

Dictus autem *morbus Anglis*, quibus primum innotuit, *the Rickets*. *A Glissonio tr. d. rhachitide*, dicitur vocabulis *græcis*, *νόσος ῥαχίτις*, vel absolutè *ῥαχίτις*, vel *νόσος ῥαχέως*, à dorsi *spinâ*, quæ variè, partim introrsum, partim extrorsum reflexa observata & delineata *fig. 9.* est à *Job. Mayow, tr. d. rhachit*. Latini hinc mutuarunt nomen idem, & per rhachitidem intelligunt illum morbum, quæ infantum spinam & simul alia ossa torquere valet.

Hujus natura ut innotescat, definiemus, quòd sit:

Depravata nutritio plerarumq; corporis partium, cum spinæ dorsalis & tiliarum flexura ab aliquali spinæ dorsalis tubulorum nerveorum obstructione, sufficientem & æqualem spirituum animalium irradiationem denegante, dependens.

Depravatam in hoc morbo esse nutritionem vel ipsi sensus manifestant; omnes enim fere corporis partes male nutriuntur, dum aliæ marcescunt, aliæ verò in molem justo majorem excrescunt. Et obtinebit hæc locum, juxta notam medicorum distinctionem, in actionibus depravatis quoad nutritionis opus.

CAPUT II. de subiecto agit.

Subiectum ut quod hujus morbi dicimus *teneros Infantes*, qui à semestri ad tertium usque annum, quos nutritionis vocant, hoc morbo corripì consueverunt.

Sunt quidem & Pueri & Adulti morbis dorsalibus obnoxii, non tamen rhachitide eosdem laborare observatum; Scimus enim illorum sanguinem indeque enatos spiritus magis vegetos, magisque mobiles de die in diem reddi, non minus ac nervorum tubulos magis patulos, unde remotæ hæ obstructions locum habere nequeunt. Accedit, quod motu continuo obstructions avertentur. Horum vero fibras corporis duriores nunc metam accretionis attigisse, ideoque obstructions horum paralyfin potius inducere, quam quod ligamenta abbreviare ossiumque distortionem inferre queant.

Subiectum ut quo est spinalis medulla, ejusque nervi spiritibus in vicinas corporis partes transmittendis dicati, unde Anatomicis canales audiunt, per quos spiritus animales ad partes dispensantur.

Subiectum non minus adæquatum præter ligamenta, membranas, ossa, carnem musculorum, ferè totum corpus constituit, quamvis aliæ partes magis defectum, aliæ verò magis excessum patiantur.

CAPUT III. de causis proximioribus.

AD causarum investigationem & enodationem antequam me accingam, notari velim, quod

1. Sanguis è sinistro cordis ventriculo in arteriam magnam protuberans pergat secundum sui *crassiores* partes per ramum ejus descendentem in inferiores corporis partes; secundum *subtiliores* verò particulas per ramum ascendentem in cerebrum, & ibidem *partim* per minutissima arteriarum carotidum vasa segregatus, *partim* singulis harum arteriarum pulsibus, eò ipso, quo intumescunt, cum poros tunicarum jam majores & valde distensos habeant, subtilissimæ sanguinis particulæ nomine spirituum animalium, motus omnis in corpore nostro auctorum, veniunt.

2. Crassiores hujus segregati sanguinis particulæ in solidarum partium tubulos, quippe qui cum poris arteriarum continui sunt, egredientes quoad chylosas partes à spiritibus animalibus jam per nervos accurrentibus motæ, & fibris intimè adactæ assimilataque nutrimentum constituent; à nutritione verò residuæ è tubulis hinc inde in vasa lymphatica suscepta mediatè, per venas autem immediate circulatione ad cor redeant.

Hanc circulationem sive feri, sive lymphæ, sive humorum circulantium nominare velis, nobis perinde erit.

3. Spiritus animales poros corporis apertos servant, quo prædicti humores circulantes nutritivi minutissimos partium mæandros transire queant, neque ullam ab angustia remoram patiantur.

Hiscæ præsuppositis, facile est cognoscere causam hujus morbi immediatam esse obstructionem spinalis medullæ ejusque tubulorum nerveorum aliqualem, impedientem, quo minus spiritus animales humorum circulantium irradiationem debito & convenienti modo absol-

absolvere possint, præprimis in infantibus, quorum filamenta nervea eorumque tubuli satis exiles, infirmi & molles, unde spiritus animales, jam tum debito crassiores, sufficienter influere non adeò feliciter possunt.

Non quidem statuimus omnimodam nervorum obstructionem, quæ alias perfectam post se relinqueret paralyfin; sed ad sensum talem, quâ à spiritibus animalibus irradiatio sanguini sufficiens denegatur. Aliàs subtilissimis quidem spiritibus animalibus transitus ad inferiores partes patet; hi tamen ex sanguine limoso magis acido ac viscido, quoniam copiosi egredi nequeunt, tanquam insufficientes, neque poros nervorum neque tubulos parvum apertos servare possunt; unde circulatio humorum nutritiorum in partibus hisce impeditur. Transeuntes autem adhuc spiritus per obstructas vias maximam partem ad naturalem consumuntur motum.

Causam mediatam statuimus *sanguinem, limosum, viscidum, acidum* indeque enatos humores crassiores, è quibus plurimos morbos infantiles oriri persuasum habemus. *Clariss. Mayow tract. de rachitid. pag. 36.* negare quidem videtur, sanguinem ullo modo in causa esse, dicit enim; si tota massa sanguinea corrumperetur, quæ cum indiscriminatim ad quascunque partes transmittitur, nullas non plus minus afficeret sanguis impurior. Sciendum tamen est, sanguinem non esse corpus simplex & uniusmodi, sed ex dissimilibus & heterogeneis misceri & incem temperari. Insunt enim sanguini amarum, dulce, acidum & sexcenta alia juxta *divinum Senem*, quæ si à sua legitima degeneraverint, & uti hoc in affectu acidæ prædominentur reliquis sanguinis particulis, necessario nascitur aciditas ejusdem, visciditas & limositas, humores

mores ejusdem simili noxia qualitate inquinantur. Viti-
tiosos autem hos humores jam hinc inde ad partes depo-
ni & obstructionum causas fieri posse, quis inficias ibit?
Neque hic imaginaria statuenda attractio, cum pororum
configuratio & humorum convenientia omnem absol-
vant paginam, pari modo ac in paralyfi, apoplexia & a-
liis morbis, in quibus tamen sanguinem in culpa esse
quivis concedit. Porro si spirituum è sanguine genito-
rum torporem & paucitatem consideramus, res clarior
evadit.

CAPUT IV. de causis remotioribus.

AD naturales causas digressum faciens consueta me-
thodo *Temperamentum* in limine considero, de quo,
si priora accommodamus, dicendum erit:

Temperamentum è sanguinis acidioris, viscidioris,
crassioris & in motu tardioris crasi enatum, vulgo *phle-
gmaticum* dictum, nostro affectui esse ominosum. Hoc
enim ad obstructions non tantum proclive, verum et-
iam ad generandos torpidos spiritus satis aptum. Acce-
dit, quod fibris partium solidarum mollioribus, & laxis
poris, recipiendis humoribus magis sit dicatum.

Sexum sequiorem huic morbo quodammodo magis
obnoxium esse persuasum habeo, quod sanguine gaudeat
potius acidiori, viscido & ad obstructions pronus. Nam
fœminarum corpora sunt molliora, teneriora & laxiora
præ virorum corporibus.

Ætas maxime Infantilis hic accusanda venit, non
tantum ratione exiguarum viarum, quæ spiritibus trans-
eundis facilè præcludi queunt; verum imprimis ratione
ossium

ossium molliorum & teneriorum, quæ à levissima causa quam citissimè flecti & intorqueri poterunt.

Hereditaria dispositio huc etiam facit, quatenus infantes succo nutritivo matris vitiato, scorbutico & viscidiori enutriti similem suo sanguini & humoribus circulantibus labem contraxere.

Aër, cui innatamus, crebris suis mutationibus teneriora corpora variè alterare potest, præsertim *frigidus & humidus*; hinc in Anglia morbus noster quadantenus vernaculus est, Insula enim illa aërem non solum continet à vaporibus è mari & fontibus, quibus præ aliis regionibus scatet, elevatis humidiores, sed & propter distantiam ab æquatore frigidiores, qui aër sanguinis & humorum circulantium coagulationem, aciditatem & visciditatem promovet, eorumque volatilisationem impedit, poros dum constringit, unde non raro obstructionum mater fieri consuevit.

Cibus & Potus peccantes quantitate, mixtione & motu, sanguinis mixtioni & motui contrariis, nostro affectui faces accendere possunt, qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, talis sanitas. Hinc quantitate nimia assumpta, cum superficietenus tantum in ventriculo soluta dumviratus regimen subterfugiunt, Massæ sanguineæ partes inferunt crudas & viscosas, quibus restaurandus sanguis inquinatus ad varias obstructions disponitur.

Et *Lac* fidelem huc quoque confert operam, cujus mixtio non raro in acidum degenerat, præsertim dum nutrices quantitate nimia sæpius non lactant, sed potius

mactant infantes. Alios taceo modos, quibus lac pravum in corpore infantis induit larvam.

Somnus licet lege naturæ infantibus longior esse consueverit, quippe quorum spiritus apertis cerebri laxioris adhuc & mollioris poris servandis non sunt sufficientes; attamen si excedat, sanguinem crassiores reddere, cerebrum multis humoribus opplere & consequenter obstructionum causa esse valens est.

Quies nimia spirituscentiam impediens & volatilisationem sanguinis hinc quoque suam addit *ἡσυχία* *μὲν*.

Naturæ debitum si non solvat *albus*, retentorum peregrinas partes sanguini communicari, eumque, pro harum partium varia mixtura & vario motu, acrem, scorbuticum, acidum reddere posse nullus dubito; & contra, si excernenda nimium in modum fluant, succum nutritivum cum spiritibus profundi; hinc fit, ut massa sanguinea sui juris facta ace scat.

Tandem *præternaturales causas* statuimus eos infantum morbos, qui prægressi sanguinem acidum viscidumque relinquere, spiritus atterere & ita œconomiam animale in perversum statum mutare potuere. Merito igitur præter alios morbos variolas & morbillos accusamus, quorum peregrina fermenta è sanguine non rite per vias communes secreta in sanguine manent, & cum eodem & circulantibus humoribus circulata hinc inde restagnando obstructiones causantur, vel eundem de novo inquinando acidum prædominare faciunt, & hoc eò magis, quando spiritus à prægressò morbo depauperati noviter volatilizando sanguini non sufficiunt.

CAPUT V. de differentiis.

Nunc, quo affectus nostri differentias tradamus, proximum erit. Differt autem

1. *Ratione generis*; Estque vel simplex, propriis tantum stipatus symptomatibus. Vel aliis morbis gravioribus implicitus, qui rarior.

Alius vehemens, qui atrociter affligit, ut etiam optimis præsiidiis ab imminentis mortis periculo vindicari non possit. Alius mitior, quique vix observatur, quam quod ludant segnius, & nonnulla alia leviora morbi stigmata gerant.

2. *Ratione subjecti*; alius infantum in lucem jamjam editorum, alius adultorum magis, alius denique in utero materno adhuc hospitantium.

3. *Ratione causarum*, alius est hæreditarius; qui à nativis in utero acquisitis principiis provenit; alius est acquisitus, qui duplex: *unus*, qui morbum antecedentem sequitur; *alter*, qui errore 6. rerum non naturalium, vel proprio vitio producitur.

4. *Ratione graduum*; unus incipiens; alter, qui radices jam firmas egit, confirmatus.

5. *Ratione symptomatum*; alius cum tussi, pulmonum exulceratione; alius sine vehementi tussi, pulmonumque exulceratione; alius cum scrophulis, alius non item.

CAPUT VI. de signis diagnosticis, eorumque explicatione.

Differentiam excipit *diagnos*, tanquam rectæ curationis clavis; ignoti enim nulla est curatio morbi.

Hic morbus cum ex insidiis quasi agat, & symptomata aliis communia habeat, in principio non facile cognoscitur, nisi ex partium externarum mollitie, laxitate, debilitate virium & ignavia, colore & habitu faciei, (relatione habitû ad artus) vegetiori & floridiori, corporum & costarum extremitatum inæqualitatibus nodosis, & subtumida quadam tensione ventris; usque dum signis magis se patefacit, quæ vel exterius oculis obijciuntur, nempe caput magnum & hinc inde enatæ in hujus superficie protuberantiæ, abdominis intumescencia; pectoris vero angustia; ossis sterni tamen in acumen ferè, ad instar gallinarum sterni, protensio, cartilaginisque ensiformis prominentia, ossa maximam partem incurvata, penes articulos, quorum cartilagines & epiphyfes nodosæ reperiuntur; Spina dorsi varie intorta ferendo capiti non amplius sufficit; dentes si adsunt vel nigricantes vel penitus putridi apparent; membra externa & muscoli corporis graciles emaciatique; cutis vero exterior laxa & flaccida; Ingenium plus solito felix & vegetum, & cum pedibus vix insistere liceat, sedentes potius, quam currentes ludunt.

Interna signa ex cadaverum dissectionibus desumpta hæc sunt: Hepar valde magnum, Ventriculus & intestina distenta, mesenterium glandulis justo majoribus, aliquando

do plane firumis, refertum; Pulmonum adnascencia ad pleuram eorumque sanguineus purulentusque infarctus; Cerebrum mole excedens.

Cum vero ex horum phœnomenon explicatione hunc affectum magnam fœnerari lucem constet; ideò brevibus eorum genuinas causas præter hætenus dictas in scenam producam. *Caput in molem excrescit magnam*, quia spiritus, qui ad exteriores corporis partes inferiores egredi debebant, aditu ab obstructione intercluso, omnes capitis tam internas, quàm externas partes occupant; unde hinc aliter fieri non potuit, quin cerebri & externarum partium capitis poros magis aperiant, humores circulant, hic aditum sufficientissimum inveniunt, copiosissimè fibris assimilent, inque eas adigant, & ita caput magnopere crescere faciant, cumque motum & calorem præstent similiter, hinc vultus, quam pro annis, habitior apparet; neque impossibile tubercula in capite hinc inde efflorescere; cum humorum circulantium quædam partes crassiores, ob pororum & figuræ diversitatem, stagnantes obicem ponant & reliquis à tergo insequentibus; hinc ab hac accumulatione tumores oriuntur varii.

Et *ingenium* his satis felix videtur, quatenus spiritus in cerebro jam detenti copiosiores, quam quod soli cerebro inserviant; nutum ea propter animæ quam citissimè exequuntur.

Viscera abdominis cur quædam justam fere semper excedant proportionem, nunc dicendum venit. Considerandum glandulosas illa viscera esse partes, porosque eorum instar cellularum manifestos esse, quos facillime sanguis & humores nutritii subeunt, qui cum ad exteriora corporis non impenduntur debite, tanquam superflui

& copiosi in partibus hisce porosis stagnant, viscera in magnam adaugent molem, præsertim cum in hæc spiritus animales per nervos cerebri convenienter influant. Tumefactum tale viscus si comprimatur, uti fit in pulmonibus, ob stagnantes eorum in poris humores, non tantum hinc inde adnectitur, uti pulmones cum pleura coalescunt, verum etiam solutionem continui ab humoribus stagnatione acidis & acrioribus factis, patiuntur; & hæc est ratio, quare pulmones sæpe purulenti evadant & phthiseos larvam induant; imo hæc quoque asthmatis & spirandi difficultatis causa adjuvans esse poterit.

Simili etiam modò *Hepar* quantitate excedens abdominis intumescentiam maximam partem constituit, ut &

Ventriculus & intestina distenta, quæ certè in consummato magis hoc morbo aliam nullam ob causam observantur, quam quod sanguis & serum ob defectum spirituum animalium in exterioribus corporis membris segniter moti aciditatem induant & visciditatem indies majorem, propter quam, cum fermenta viscerum degenerent, nulla rite perficitur coctio in ventriculo; hinc flatus distendunt ventriculum & intestina.

Quod si fermenta penitus destruantur, & loco optimi chyli acidus, crudus & viscosus generetur succus, nec ciborum partes volatiles solvantur à compedibus crassioribus, oppidò *diarrhæa* infestat.

Oeconomia hoc modo constituta, multas crudas acidas partes quam facillime deponere potest in glandulas mesenterii, aliasque patulas vias, quæ, cum à subtilioribus ulterius tendentibus deferantur, condensantur & pro ratione condensationis nunc in scrophulas, nunc in du-
riores glandularum abeunt tumores.

Acidæ hæ partes *Ælicæ*, segregatæ à propria gingivarum carne, dentes corrodendo nigredinem tantum, vel insuper totalem corruptionem iis inducunt.

Priusquam ossium incurvationem explicandam aggrediamur, operæ pretium erit, unde nutriantur ea, proponamus.

Ossa nutriri vel ipsis sensibus obviam; unde vero nutriantur? disceptarunt. Nos, explicato superius generali nutritionis modo insistentes, dicimus humorum circulantium crassiores & terreas magis particulas ossibus in nutrimentum cedere. Neque ad hanc nutritionem notabilem spirituum animalium influxum requiri putamus, cum vel exigui sufficiant spiritus, crassum hoc nutrimentum adferentes huic operi. Delatæ enim particulæ nutritivæ cum similes inveniant poros semper stabiles & apertos, in iis quiescunt, ut ab his ossa sibi nutrimentum desumant. Ossa vero de spirituum animalium irradiatione non adeò manifestè participare, exin elucescere videtur, quod non sentiant.

Contrario modo se habet nutritio membranarum & musculorum; quorum pori à spiritibus animalibus non irradiati collabuntur quasi, fibræ eorum tanquam flaccidæ minus alium atque alium acquirunt situm & figuram, quo minus humorum circulantium motui auscultare, eosdem in se recipere & ita nutriri queant.

Ex his jucunde satis colligere possumus, cum ab obstructione medullæ spinalis ejusque tubulorum nervorum spirituum animalium influxus in partes inferiores corporis denegetur, quod membranæ & musculi, ab his obstructis nervis irradiationem non accipientes, ulterius non crescant, potius marcescant; ossa vero, quibus sine
spiri-

spiritibus animalibus nutrimento frui licet, crescant & majorem in molem augeantur.

Quæ cum ita sint, dicimus *spinam dorsalem* variè inflecti pro varia musculorum diversis in locis annexione. Musculi enim exteriores superiori in parte spinam introrsum inflecti faciunt; musculi vero psoas inferiori ejus in parte antrorsum, quod aliter fieri non potuit, quia musculi ulteriori nutrimento destituuntur, hinc tubuli quasi collabuntur & marcescunt; ossa vero, quibus intime alligantur hi musculi, cum quotidie nutriantur, excrescunt & elongantur, hinc necesse est, ut ossa incurvantur juxta legem mathematicam: Linea recta aucta intra limites suos debet fieri obliqua. Detinentur enim à musculis osse brevioribus, tanquam à chorda, quod pulchrè arboris exemplo tenerioris crescentis chorda deligatæ & hinc incurvatæ demonstrat *Mayow l. c. fig. 6. 7. 8. 9.*

Veritas hujus ulterius patet, si tibia inflexa consideretur, quæ semper antèrè prominens & convexa, posteriori vero parte musculos & suram respiciente concava observatur.

Nec minus *cruris & humeri* consideratio huc facit; hæc enim ossa tanquam in æquilibrio posita & à musculis undique eadem cingentibus constricta non incurvantur, sed in magnitudine sive crassitie tantum adaugentur, nonnunquam etiam in nodos excrescunt.

Pectus angustum observatur & acuminatum, nullam aliam ob rationem, quam quod musculi intercostales unà cum membranis neque crescant neque augeantur; hinc firmiter costas constringunt & pectoris angustiam causantur, quam multum promovet deorsum tractio musculorum abdominis similiter extenuatorum & tensorum.

Costæ

Costæ autem cum suo gaudeant nutrimento & tamen impediuntur in longitudinem crescere, nodos sortiuntur & quoad extremitates in acumen elongantur, ut necessario pectus acuminatum appareat; Eò verò ipsò pulmones infarcti, hoc in angusto pectore capax spatium non invenientes, cartilaginem ensiformem extrorsum propellunt & eminentiam ejusdem producunt.

Restat, ut dicamus, quomodo articulorum ossa in carpis & talis articulorumque epiphyfes in duros abeant nodos, quos *Glissonius tract. cit. pag. 11.* ejusdem cum ossibus substantiæ esse dicit. Hujus excrecentiæ ratio adest, modò si consideremus his *non licere* ulterius in longitudinem crescere, ob ligamentorum & musculorum brevitatem; *nec* incurvari, propter parvitatem; quando vero crescunt & augentur, coguntur in duros crescere nodos.

Corporis autem totius imbecillitatem & ad quemvis motum ineptitudinem, à spirituum animalium denegato sufficienti influxu dependere dicimus. Musculorum quippe actio, quam unicam statuit nempe attractionem *Isbrand de Diemerbrock in sua Anatom. l. 5. c. 1.* à spiritibus animalibus in eorum fibras influentibus & tumescientiam quoad latitudinem; contractionem vero quoad longitudinem efficientibus unicè dependet, quo de vide *Renat. des Cartes tract. de homin. pag. 34. & seq.* Obstructa jam spirituum via & ipsi spiritus necessario deficiunt, unde dicta virium imbecillitas.

Tandem cutem laxam esse & flaccidam, aliter fieri non potuit, cum ex hætenus dictis musculorum & membrorum extenuationes satis demonstratæ. Cutis vero tanquam integumentum commune, cum neque à muscu-

lis extendatur, neque à spiritibus sufficienter infletur neque ab humoribus circulantibus debite irrigetur hinc propter denegatum sibi & exterioribus partibus nutrimentum flaccescit & laxa apparet.

Tantum de phænomenis. Alia, si supersunt, ex jam dictis satis commodè deduci possunt.

C A P. VII.

de signis prognosticis.

SEquuntur signa Prognostica *salutem & Mortem indicantia*. Hic affectus plerumque ex se lethalis non est, ne graviora symptomata alium periculosum accersant morbum, vel sanguinis & partium solidarum prava dispositio in utero contrahatur, quæ postmodum rarissimè curatur. Hinc

1. Affectus hic, si morbos alios, phthisin, tabem, Febrem Hecticam &c. comites habeat, vix ad salutem tendit.

2. Diarrhœa conjuncta ubi nullis cedit remediis, exitum portendit.

3. Morbus hic propriè natus, sive statim post partum invadens ferè semper lethalityatem infert.

Longitudinem & brevitatem symptomata irruentia vel remittentia, morbi prægressi, dispositio proprio vitio contracta, vel hæreditaria & ætas indicant; quare

4. Quo disproportion & extenuatio major, eò curatio difficilior.

5. Quo enormior est capitis moles, eò longiora spondet curationem.

6. Quo debilior spina dorsi, ferendoque oneri minus valida, eò pejus est.

7. Ossa quo à figura magis recedunt naturali, eò longiorem fore curationem indicant.

8. Symptomata ubi non augentur, sed potius minuantur, brevi reconvalescentiæ spem promittunt.

9. Morbus hic aliis magnis morbis superveniens mala notæ censetur.

10. Qui ex mero errore externo contractus morbus, brevior esse solet & curatu facilior, eo, qui hæreditaria quadam adhuc dispositione fovetur.

11. Ætate grandiores, junioribus; pedibus incedentes, non incedentibus facilius curantur.

Modum *eventus* docent naturæ vires, sic :

12. Quicumque ante quintum non curantur annum, postmodum, quamdiu auram trahunt, valetudinarii sunt.

13. Scabies aut Pruritus, huic supervenientes morbo, curationem pollicentur.

14. Ossa, *femoris* & *Tibiæ* quibus diu multumque secundum latitudinem potius, quam secundum longitudinem crescunt, hi plerique demum pumiliones evadunt.

15. Quibus verò ossa à longitudine naturali recedunt, & in curvitatem excrescunt, curati proceræ staturæ homines plerumque fiunt.

CAPUT VIII.

de Curatione in genere & ex fonte Chirurgico.

INvestigata & ad vivum quasi delineata, ea qua in præsenti placuit brevitate, morbi natura, proximum erit, ut curationi aliquot tribuamus pagellas, quæ quo recepta methodo curativa instituatur, necesse est, prius ponamus *indicationes*, quæ auxilia & horum materias monstrant.

Curatoria æqualem spirituum animalium distributionem & consequenter omnibus partibus debitam nutritionem præcipit; quod ut debite succedat,

Præservatoria causas demere debet, quas supra posuimus; Hinc ratione causarum omne illud, quod influxum spirituum animalium & circulum lymphæ impedire & laxitatem inducere potest, tollendum est, unde unde etiam illud natales trahat. Laxitas nervosi generis & spinalis medullæ corrigenda, sanguinis acidioris viscedo & limofitas emendanda, humores noxii è corpore eliminandi; præterea culinarum primarum corporis errores tollendi, iisque quantum possibile & medicamentis & idoneis cibis prospiciendum.

Vitalis indicatio ex prioribus, ut unda ex flumine, derivatur. Hæc vires restaurandas, spirituum majorem vegetationem & totius sanguinis crasin resuscitandam suadet.

Symptomata urgentiora quoque non sunt negligenda. Ossa incurvata in melius dirigenda; imprimis pulmonum infarctus, ne in phthisin degeneret; diarrhæa, hydrocephalus, hydrops, aliaque mala sedulo præcavenda.

Posita hæc methodo nunc remedia quærenda, huic satisfaciencia. Ea vero desumuntur è triplici Medicinæ fonte, Chirurgico, pharmaceutico & diaterico.

Ex *Chirurgia* multum solatii hoc morbo correptis afferre *Scarificationem aurium* tradit *Glyssonius* experientia *Empiricorum*; quod remedium tamen parum rationi nostræ consonum videtur.

Neque *Hirudines* multum hic conferre putamus, cum venis admotæ, non nisi sanguinis, æque boni quàm viscidioris, quantitatem depleant. Poti-

Potius huc facere videntur *Vesicatoria ex Cantbaridibus* cum paucis oleo gummi Euphorb. remixtis parata & posteriori colli parti applicata, quæ cum sint partium tenuium, obstructions referare, visciditatem incidere, attenuare & partim evacuare possunt. Non enim molestia horum tanta est ac fonticulorum; sed, ut commodè tempori æquare possint, vel ulcera inde inducta per aliquot septimanas aperta servanda sunt, vel post eorum coalitionem applicatio nunc eodem, nunc alio in loco repetenda est.

Fonticuli nuchæ inter primam & secundam colli vertebram excitari quoque possunt, præsertim in adultioribus, in quibus fetaceum applicatum, si non magis, saltem non minus, præstat, dum humoribus obstruentibus viam parant pro exitu patulam.

Cucurbitula secundum spinæ longitudinem apposita, quatenus humoribus stagnantibus motum inducunt, non planè rejiciendæ. Uti nec *Frictiones* pannis siccioribus, calefactis vel suffitu *maslich.* & *tacamahac.* fumigatis institutæ secundum spinæ longitudinem, quibus humorum motus uti citatur, ita & pori recipiendis topiis aptantur. Huc quoque referenda *ossium incurvatorum fasciatio*, non tantum pro calore & fotu partium majori, verum & pro incurvatorum membrorum rectitudine promovenda; Hujus fasciationis modus & instrumentorum delineatio videatur apud *Glysson. tract. cit. lig. m. 364.* & alios Chirurgos.

CAPUT IX.

de curatione ex fonte pharmaceutico.

EX fonte pharmaceutico omnis generis promanant

præsidia, huic affectui debellando commodissima, quæ brevibus trademus.

In principio curationis, ubi ventriculum & intestina, priusquam obstructions referantia adhibeantur, vitiosorum humorum saburra liberare necesse est, conveniunt evacuantia. *Enemata emollientia*, quibus humores vitiosi in & circa intestina stagnantes blande educuntur; dein *fortiora* cephalica, nervina, quæ partium suarum tenuitate & volatilitate obstructions tollere & nervos roborare possunt.

Infantes cum non tantum emetica ritè adhibita facile ferant, sed & iisdem multis cruditatibus in ventriculo collectis felicissime subleventur, imò natura sæpe sibi molestum per superiora reddat, viam quasi monstrando, quâ sibi succurrendum; hinc emetica purgando in principio morbo, viribus adhuc constantibus, quando in ventriculo materia vitiosa observatur. Hæc in rem commode præscribi queunt pro infante 6. mensium, sequentia:

Rx. $\mathfrak{z}$ r. *emetic.* gr. $\frac{3}{5}$.

$\mathfrak{z}$ *nativ.* gr. j.

M. D. in lacte materno. vel

Rx. *oxysacchar. vomitiv. Ludovic.* 3℞.

D. S. Brechsaft.

Liberatis modo dicto primis viis, nunc præparandis insistendum erit. Omnibus vero palmam præripere videntur ea, quæ acidum & viscidum sanguinem volatilifare, obstructions tollere & spirituum vel hoc modo quoque proventum promovere queunt, qualia ex simplicibus sunt radices *osmund. apii. filic. mar. sarsapar. Chin. Ebul. Lign. Guajac. sassafir. Cortic. fraxin. tamar.*

fol. beton. salv. capill. ꝯis. serpill. Crocus maces, Castoreum &c.

Composita absolvunt seq. *Jialia R. ꝯis pomat. cydoniat. balsamic. essent. pæon. fumar. ꝯii ꝯrisat. Elixir scorbutic. Rolsinc.* quod in infante quodam Principe hoc morbo detento magnum attulisse levamen testis est *Excell. D. D. Waldschmid*, Professor Marpurgensium celeberrimus, Præceptor meus ætatem devenerandus. *Croc. ꝯ. ꝯrat. lap. ꝯ. mater. perlar. perla ppt. ꝯ. diaphoret. ꝯis nativ. ungarica & ꝯii rectificata, pulvis cachect. ꝯnus absorbens, contr. casum D. Wedel.* Nec immerito huc referimus pulveres contra strumas, quorum in debellando acido fixo vis insignis est.

Ex his pro ratione ætatis varias formulas quivis concinnare poterit & infantibus & nutricibus, si quibus adhuc indigent, propinare. Pariter hunc in finem *Vina & Cerevisia medicata* ex chalybeatis, lignis, radicibus & nervinis Nutrici commode ordinantur.

Cum vero hic morbus non uno curetur remedio, consultum est præparantibus interponere cathartica leniora pro ratione ætatis ex jalapp. rhabarbar. mechoac. alb. fir. de cichor. c. rhab. elect. lenitiv. & similibus; cavendo tamen, ne fortioribus vel nimia purgantium continuatione fluxum humorum citemus sæpe periculosum; quò depauperatur succus alibilis, & superflui spiritus consumuntur, unde diarrhœa talis exitialis morbo ultimum addit complementum. Neque inconsultum erit, purgantia tutiora cum præparantibus miscere, quo una fidelia duos dealbare possimus parietes. Formul. seq. Infanti 6. mens.

℞. *jalap. ppt. gr. vj.*
specific. cephalic. ꝯin. gr. iij.
ent. ꝯ. Boyl. gr. j.
M. F. ꝯ. ꝯ. Purgierpülverlein.

vel:

vel:

℞. Mann. calabrin. ʒʒ.

▽ pœon. ʒij.

M. F. potio. S. Purgiersafft.

Diaphoretica, cum Θ le volatil. vel alcalino fixo ac-
 dum sanguinis & humorum circulantium ligans inverte-
 re, debellare; eosdem verò attenuare, fluxiles reddere &
 serofos humores per vias patulas corporis ejicere valeant
 multam sane reconvalescentiæ spem nobis faciunt. Tali-
 sunt: Ra bezoard. Rolfinc. D. Wedel. M. S. ~ C. C. ebon-
 *c. ℞r. sambuc. liquor. C. C. succinat. ʒ. diaphoret. C. C. ph-
 los. bezoard. ʒial. cachect. Ens ʒis Boyl. quod pluribus com-
 mendat Majow. tr. cit. Observandum tamen, ritè præpa-
 ratum eligendum esse hoc Ens ʒis, quod luteus manifestat
 color. Operatur per ambitum corporis sudores proliciend-
 do; sæpè etiam per vias $\square$ arias pro varia humorum pec-
 cantium dispositione.

Diuretica, partim supra tradita, hunc subeunt cen-
 sum, dum ∇ ea porosa sua substantia acidum absorbent
 sanguinemque resolvunt, ut hoc modo quasi fundantur
 & præcipitentur, statim ejus efficientes particulæ hetero-
 geneæ, & sero dilutæ per vias $\square$ arias eliminantur, vel Θ e
 fixo contrario stagnationis principium destruat ex ocul.
 S. matr. perlar. & horum magist. conch. succin. alb. ppt. ar-
 can. ℞ri, arcan. duplicat. & simil.

Ulterius *nervina* & *cephalica* huc referenda, quæ de-
 ficientes spiritus & torpescences reficiunt vi sua balsamica
 volatili, & humoribus fluxilitatem inducunt debitam,
 e. g. rosmarin. chamadr. chamæpyt. stœch. arab. salv. major.
 essent. succin. castor. lignor. pulv. epilept. march. cephalic.
 rubr. specif. cephal. D. Michael. &c. ∇ e analeptica & epi-
 lepti-

*leptica, spirituose ex specificis floribus paratæ commenda-
dandæ veniunt.*

Tandem Massam sanguineam *roborantia*, tonum
viscerum conservantia & chylicationis opus adjuvantia
desumenda ex *essent. traumatic. DD. Rolf. Wed. lign. aloes.
elix. pectoral. condit. calam. aromat. Nuc. mosch. in Indiæ
condit. pulv. Haly contr. phthys. recent. dispensat. spec. Dia-
margar. frigid. & pluribus aliis.* Hæc de internis.

Topica jam recensenda veniunt, quæ obstructos po-
ros reserare, fibras emollire & nervos ab impuritate libe-
rare queunt; qualia sunt *fotus & balnea* concinnata ex
speciebus roborantibus & nervinis jam dictis, vel cum vi-
no coctis, vel cum ∇ i digestis, qualis ∇ i cum urtica mi-
nor. urente digestus & cum ∇ a magnanimitatis mixtus
plurimum pollet, ut & *essent. castor. rosmarin. spirit. lum-
bric.* hic nominari merentur.

Magni momenti sunt itidem *unguenta & linimenta*
in progressu morbi adhibita, ex nervinis, solventibus
& roborantibus mixta. Hanc classem subeunt, *olea pe-
trol. laurin. lumbric. Destillata salv. rosmarin. spic. lavendul.
therebintb.* Pinguedines *human. tax. medull. crur. vitul.*
unguenta agripp. dialth. & compositum, quod habet
Strobelberg. tr. de affect pueror. pag. 61.

$\mathcal{R}$. ungt. nervin. $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$.
pingued. castor. $\mathfrak{z}\mathfrak{i}$.
bals. de Peru. $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$.
el. succin. rosmarin.
salv. ana gt. iij.

M. F. Ungt.

Inter *Emplastra* laudem merentur *Empl. de betonic.*
oxycroc. de cujus usu attamen notandum, quod quam facil-

lime pustulas excitet, quare non promiscue adhibendum, nisi velimus inflammationem excitare. Simplex laudamus sequens:

Rx. *cera flav.* ʒ℞.
resin. pin. ʒj.
ol. ♀r. foetid. ʒj.
 M. f. l. a. Empl.

CAPUT X. de Diæta.

Tertius restat fons, diæteticus, qui multas nobis, tum ratione præservationis, tum ratione felicioris curationis spondet vires. Ex hoc *victus & vivendi regimen* monstrabimus brevissimis.

Aërem exoptamus temperatum, qui si haberi nequeat, quantum possibile arte corrigendus erit, imprimis frigidus, qui poros teneriorum corporum quam facillime occludendo, transpirationem impedit, infimul & humores circulantes increassando variarum fluxionum mater existit.

Cibus præbeatur facilis coctionis & bonæ digestionis; fugiantur contra *Θ* ita, viscosa & quæ obstructionibus ansam dare queunt. Lactantibus præprimis præcipiendum, ne lactatio fiat vel inordinata, vel superflua; hinc non ad quemvis infantis ejulatum lac præbendum, etiam more muliercularum ad vomitum usque; hanc enim lactatione lac priori jam subacido nondum concocto novum superingeritur, undè necessariò cruditates insequuntur. Ut itaque lactis hic major habeatur ratio, Nutrices promiscuam alimentorum ingluviem devitent,

& acida, salita, infumata, caseosa, & præsertim fructus horarios parca sumant manu; nec famelicæ ventriculum nimis onerent, potius sobriæ infantum agant curam, quare post singulos pastus parum seminis anisi, carvi, & quod optimum, fœniculi, ejusque radicem in cibis, manducare conducit, horum enim volatilitas aromatica coagulationem lactis impedit & humores nutritios optime disponit. Nec minus pultis habenda est ratio. Præstat omisâ farinâ, ex pane triticeo exiccato, nunc minutim contrito, cum lacte & tantillo seminis anisi pulverisati pultes conficere.

Potum quod attinet, concedatur consuetus, optime tamen defecatus æque nutricibus, quam infantibus ulterius lac non sugentibus.

Cum *exercitiis* sanguis attenuetur, omnesque humores stagnantes in majorem, quàm antea citentur motum & obstructions corporis hinc inde factæ tollantur, suademus pro ratione ætatis convenientem jactationem cunarum, gestationem in ulnis nutricum, lusum in sedendo, & ubi vires permittunt, ambulando, & exercitia huic ætati convenientia, ad quæ vel studio adigendi sunt infantes.

Somnus sit moderatus, non excessivus, qui humores ad obstruendos poros disponat, sitque ordinarius. Nec excedant *vigilia*, à quibus spirituum depauperatio & consequenter humorum stasis proveniunt.

Animi pathemata ne exorbitent in nutricibus præsertim, nec terror, nec tristitia, nec ira lactis mutant genium; infantibus autem gaudium, crescenti ætati succur- rat, vitæ terroribus, lacrymandique occasionibus.

Excreta tandem & *retenta* suo respondeant officio.

Nutricibus non fluant menses, nec foecundus coitus
 aliorum derivet. Lac, infantum alimentum, variè
 turpatum, aut locò partium chylosarum, serum Θ ibi
 imprægnatum præbere, infantibus varia incommoda
 rare aptum est. Infantes justo tempore & quantitate re-
 dant excernenda, ne à retentis sanguinis tenera comp-
 ges inquinetur, neque ab excernendis eadem dissolvatur.
 Illis per clysteres emollientes, suppositoria & aliquando
 lene pharmacum; his stypticis & roborantibus
 succurrendum.

Tantum! DEO T.O.M. fit Laus,
 honor & gloria!

Quò magis subtili decurrit machina filo,
 hoc magis artis opus reddere quassa sibi.
 Difficile est gravidis tenerisq; parare med-
 lam,

lesio quos facilis non reparanda capit.
 Tu satagis quævis obstacula tollere dignè,
 unde Tuo capiti digna corolla venit.

Cl. Candidati honoribus ex merito
 applaudo, unaque felicissimos
 successus amicâ mente precor

Georg. Wolffg. Wedelius. D.

F I N I S.